Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2423
Quelle:
Copyright:

hec appellatur de rosario. IV. *quomodo proprietates rose materialis Virgini marie conveniant* &c. Quae ad plenam pii hujus Instituti cognitionem faciunt. Initium est: *Aduertendum quod decem et maxime necessaria bona proueniunt homini* &c. Et finis: *iter para tutum, vt videntes ihesum semper colletemur Amen.* Fortasse *la Confrairie du Psautier de notre Dame*, cujus meminit *Echardus l. cit.* Opusculi nostri Versio sit.

III. *fol.* 91. *Incipit consolatorium timorate conscientie fratris Johannis Nider ordinis predicatorum sacre theologie professoris.* Tres *Partes* habet utilis hic Tractatus, qui in *Capita* abeunt. C. I. inscribitur et incipit: *Quot modis accipiatur conscientia. Primo igitur animadvertendum quod conscientia vno modo sumitur pro re conscita* &c. Adjacet mihi nitidissima Editio *Ulrici Gering Parisiis* 1478. 8. *maj.* jam *Signaturis* instructa, et *Cod.* nostro vetustior, quae docet, huic et *Prooemium* et *Tabulam* deesse. Habetur tamen utrobique ingenua illa, qua semper captus sum, sub finem Autoris Confessio: *Tantum de consolatione timorate conscientie dixisse sufficiat. A cuiusmodi compilatione si quiscunque, quod suum est, recipere velit, nihil aut modicum autori manebit.* Memini ejus *Cod.* DCLXXII. et saepius. In *Scriptt. Ord.* celebratur T. I. p. 792. II. 822. Editionibus *Consolatorii* ibidem citatis addidi tres alias in meo *Maittairii Supplem.*

DCXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. 319
XIV. Folior. 135. f. sat probe scriptus, titulis et Summariis marginum miniatis decoratus, olimque ad Coenobium *Scotorum O. S. B. Viennense* pertinens continet sequentia: I. *In christi nomine Incipit liber magistri Hugonis de Claustralibus.* Adjecit manus recentior: *Pars prima.* Quod si adeas *Hugonis Victorini* Opera *Rotomagi* 1648. impressa, T. II. p. 60. invenies *Partem* hanc inscriptam esse *Librum Secundum de Claustro Animae.* Prologi initium est: *Locuturus carissime de bijs que ad edificationem claustri materialis pertinent* &c. operis ipsius in Capita distributi: *Quoniam de ordinatione claustri materialis* &c. *Fol.* 21. *Explicit prima pars. Incipit secunda.* Haec in Editis est *Tertius Liber de Claustro Animae*, cujus Prologus infit: *Nosti carissime quod ea que de ordinatione claustri materialis* &c. opus ipsum: *Anime Claustrum contemplatio dicitur* &c. Atque haec *Pars* in C. IX. dimidio iis verbis: *tolle grabatum tuum et ambula*, deficit. Abest itaque a *Codice* non tantum C. X. *de Oratorio Animae*, sed omnia illa Capita subsequa *de Templo Salomonis*, quae perperam adsuta fuisse alioqui dabit oculatus quisque. Neque aliter de iis, quae subjungam, judicabit. Sequitur nempe *fol.* 30. in *Cod. Pars* quaedam a manu recentiore *Tercia* dicta, in *Capita* divisa, quorum titulos adscribam: *Quod ypocrita in congregatione fructu*